

AUXILIANTE DEO
DISPUTATIONEM THEOLOGICAM,

De

BEATIFICA DEI

VISIONE,

In Electorali Academia VVittebergensi,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Maximè Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS *Deutschmann*/

S.S. THEOL. DOCTORIS, Ejusdemq; Prof. Publici
longè celeberrimi, nec non Alumnorum Electoralium

Ephori gravissimi,

Domini, Præceptoris, Patroni, ac Promotoris sui

æternâ laude memorandi,

Publicæ Eruditorum disquisitioni

subjicit

M. Gottfried BALDUINUS,

Cizâ Misnicus.

Ad D. XXI. Julii, In Auditorio Majori.

ANNO M. DC. LXVIII.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.

INCLYTÆ REIPUBLICÆ TORGENSIS
MAGISTRATUI

Pio, BENIGNO ET FELICI

VIRIS

AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDEN-

TISSIMIS ATQVE SPECTATISSIMIS

DNN. CONSULIBUS,
PRÆTORIBUS,
CÆTERISQVE SENATORIBUS,

DOMINIS, PATRONIS, MECOENATI-
BUS, AC PROMOTORIBUS SUI MAGNIS,
ADEOQVE OBSERVANDIS, ATQVE COLENDIS

Hanc Exercitationem Theologicam

in sui suorumq; Studiorum
commendationem

submissimè

confecrat

M. Gottfried Balduinus,
Cizá-Misnicus.

IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
BEATIFICA DEI VISIONE.

PRÆLOQVIUM

Tὼν μελλόντων ἀγαθῶν καὶ τὸ καλῶς, καὶ τὸ πλῆθος
ἀπειργν h. e. *Futurorum bonorum*, vid. in æterna vita, &
pulchritudo & multitudo infinita, scribit Nilus in *sentent.*
sacris tom. 1. Patr. Orthodox. p. 181. quibus & æternæ vitæ
certissimam *existentiam*, & gloriosam *essentiam*, & plenissimam
eminentiam breviter exponit. *Certitudinem* æternæ vitæ per fu-
tura bona demonstrat. Hoc enim futurum non humanis, sed di-
vinis *promissis*, non caducis, sed æternis, ac immotis verè *decretis*,
non rationis nostræ *documentis*, sed indubitatæ sapientiæ *funda-*
mentis nititur. Ipsa *scriptum*, veritatis infallibilis cynosura, non u-
no saltē loco, sed passim in V. & N. T. hæc futura bona pollicetur.
Et nobis tantum, quamdiu mortalitatis alumni vivimus in his
terris, hæc bona *futura* dicuntur, sed Deo, beatis Angelis ac Ele-
ctis jam præsentia sunt. Nullum igitur de *Vitæ felicis existentia*
dubium in cordibus nostris appareat, & si quod apparuit, ob im-
motam divinarum promissionum certitudinem subito transeat.
Naturam autem hujus æternæ vitæ nec mente concipere, nec o-
re, seu verbis, exprimere valemus, siquidem ut habet *Casarius bo-*
mil. 26. hæc est illa vita, quæ nec oculis potest cerni, nec tacita
mentis cogitatione perstringi, quam utiq; consequi facilius est,
quam enarrare. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor homi-*
nis descendit, quod Deus se diligentibus præparavit, teste Paulo I. Cor.
II. 9. Nilus l. d. per oppositionem *bonorum futurorum & præsentium*,
vel collationem *bonorum mundi & cæli*, nos aliquantulum
in æternæ vitæ meditationem deducere conatur, quia laudatæ
sententiæ mox aliam immediatè subnectit: πάντα scil. & κόσμος
σικα, καὶ καπνός καὶ πομπόλυγες, h. e. *omnia* (nim. bona hujus mun-
di, si conferantur cum futuris æternæ vitæ) *umbra sunt, & fumus*
& *bulla*. Nihil est mundus, & omnis ejus gloria, si cælum & ejus

Bonā respicimus. Quod *umbra* respectu corporis, *fumus* respectu ignis, *bulla* respectu maris, illud vix *mundus* respectu vite felicis. Erit ibi bonum sine malo, bonum verum atq; merum, bonum omni perfectione plenum. Nilus ut aliquam hic insinua-
 ret vite futurae *σκια γαγγήλια*, urget τὸ καὶ ἅλα ἀγαθῶν, bonorum
caelestium pulchritudinem, τὸ πλήθ ἀγαθῶν bonorum caelestium
multitudinem, addimus etiam τὸ μέγαν ἀγαθῶν, bonorum cae-
lestium magnitudinem: pulchritudine sua non possunt aestimari:
multitudine sua non possunt numerari: *magnitudine* sua non pos-
 sunt mensurari, quia, sicut ex *Bernhardo Bonaventura* l. 7. *Comp.*
c. 31. recitat dictum, *tam magna sunt illius vite bona, ut non possint*
mensurari; tam multa, ut non possint numerari: tam copiosa, ut non
possint terminari: tam preciosa, ut non possint aestimari. Hanc ob
 causam Nilus etiam *eminentiam aeternae vite* per τὸ ἀπειρον de-
 scribit, quod *infinita* sit ibidem bonorum pulchritudo, *infinita bo-*
norum multitudo, quia vera non tantum, sed & mera regnat in
 ea *Beatitudo*. *Beatitudo* vera est optima hominis perfectio,
 quia nihil aliud est, quam *omnium bonorum affluentia*, vel ut ha-
 bet *Anselmus lib. de similitud. c. 48.* *omnium bonorum sufficientia*,
 est *summa*, vel *maxima hominis perfectio*, quia summum & maxi-
 mum bonum: est *ultima hominis perfectio*, ut habet *Thom. I. 2. q.*
3. art. 2. *Omnis perfectio Deus est, & Deus in omnibus omnia fu-*
turus est. Erit autem in omnibus omnia per *Beatificam Dei Vi-*
sionem, cum *beatifica Dei visio* nihil aliud sit, quam *gloriosa Dei*
fruitio, & sic bonorum omnium plenissima possessio. Dum i-
 gitur *rationales* sumus creaturae, finem ultimum perpetuò re-
 spicere, dum vero *Dei filij* sumus, nostram hereditatem, vel æ-
 ternam vitam semper intendere, cum primis autem in ea *Visio-*
nem Dei Beatificam attendere, nostrisq; cordibus per fidem ap-
 prehendere debemus, ut hic simus & maneamus *aeternae vite Can-*
ditati, ibidem evadamus *Beatificae visionis gloriosi Contemplato-*
res, vel *Optici*. Frequens igitur & fervens in nobis regnet me-
 ditatio *Beatificae visionis & aeternae felicitatis*, ut inde nostra fides
 augeatur, vera pietas promoveatur, sincera charitas accenda-
 tur, spes futurorum stabiliatur, & noster homo novus ad futu-

tam gloriam & beatificam Dei visionem, quoad in hac imbecillitate fieri potest, manu quasi ducatur. Et hoc etiam instituti presentis, quando *Disputationem de Beatifica Dei Visione*, juxta verbi DEI praescriptum, methodo scholastica proponimus. *Pater omnis gratiae & misericordiae, propter Christum Jesum, aeternae salutis consiliarium, ac omnis felicitatis Promum condum, nostrum in aeternum ac usque in aeternum unicum, per Spiritum Veritatis laborem hunc ad sui nominis Gloriam, aeternae vitae notitiam, gloriosae felicitatis Induplicem, & immortam beatificam visionis in cordibus nostris fiduciam dirigat, & bonum opus in nobis clementissimè perficiat!*
Sit igitur *Thesis* I.

Visio DEI beatifica summus fidei vitaeque Christianae Scopus est; sed scopus est, non opus: nihil enim vel fides, vel vita Christianorum per se vel tentare, vel praestare valet, quod hanc visionem gloriosam ad esse suum perduceret. Solius Dei gloriosum donum est, quod vera fides apprehendit, & vita pietatis vel respicit, vel expetit, & in quod desinere tandem unice cupit. Cum igitur sit gloriosum Dei donum, in hac quidem imbecillitate, ceu fideles, illud credimus, sed ut scientes non intelligimus, quia nec per sensum, nec per intellectum à nobis cognoscitur, prout Apostolus testatur, quod nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis, aut ejus vel intellectum, vel conceptum, descendit hoc gloriae coelestis donum. *Oculus non vidit*, inquit August. *Epist. ad Diosc. quia non est color, nec auris audivit, quia non est sonus, nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis debet illuc ascendere.* Et quia lingua, vel os, ex abundantia cordis loquitur *Matth. XII. 34. non est in ore. quod non fuit in corde, non dicitur exterius, quod non concipitur, vel intelligitur interius.* *Quid queris*, scribit idem August. pulcherrime, *super Ps. LXXXV. ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit.* Transcendit igitur cordis conceptum, & linguae sonum hoc divinae gloriae mysterium. *Non dixit*, scribit Chrysostr. *hom. 23. in Epist. ad Hebr. quia transcendit cor, sed quia neque intellexit quicquam aliquando, quia preparavit Deus diligentibus se. Quorum bonorum preparator & opifex Deus est, qualia esse possunt? Nemo proinde*
vel

vel animo præsumat, vel verbis audeat, dignè satis de hoc mysterio *beatificæ visionis* arcana Dei proponere. Unde adscenderet in cor meum, inquit iterum B. August. serm. 64. de Verb. Domini secundum Johann, ut dicerem, quod in cor Hominis non ascendit? Creditur, & non videtur. Non solum non videtur, sed nec dicitur. Verum ut à priori gloriosæ Dei visionis mysteria, cognoscere non valemus, ita pariter à posteriori, quoad revelationem divinam, gloriosæ hujus visionis beneficium ignorare non debemus: ἔτι τὸ πάντων κατὰ τοὺς ἀποστόλους, εὐσεβές, ἔτι τὸ πάντων κατὰ μαρτύρους ἐναγές, nec omnia perscrutari pium, nec omnia negligere, sanctum, inquit Athanas. Qua enim Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda (vel etiam prorsus ignoranda) ne simus in illis illicite curiosi, & in istis damnabiliter inveniatur ingrati, sicut scribit Auctor l. 1. de Vocat. gent. c. 7. Grata proinde mente mysterium beatificæ visionis ex scriptura promere, & juxta scripturam proponere debemus. Ut igitur hoc ipsum ordine fiat, de Tribus potissimum hic agemus. (I) De Principio, vel Objecto nostræ tractationis, qualis sit illa Visio, de qua nunc laborem suscepimus. (II) De principio Cognitionis, unde nobis constare possit: quod illa Visio nobis contingat. (3) De principio constitutionis, quæ naturam hujus Visionis absolvant, & causaliter eam constituent.

2. Quod igitur concernit principium tractationis, illud communiter *objectum* appellatur. Necessum enim est, ut cuilibet vel tractationi, vel disputationi, certum *objectum* destinetur. Non Entis nulla dicitur esse tractatio, vel consideratio: sed de quo tractatio suscipitur, illud vel *Ens verum* dicitur, vel per modum Entis concipitur, ac tractationi subjicitur. Dicimus igitur *Visionem, Dei beatificam, nostræ tractationis objectum, objectum esse verum, reale, supernaturale*. Verum dicitur, quia neutiquam inter non Entia reperitur, sed in ipso Deo verum suum esse consequitur, ab eo progreditur, & instar beneficii gloriosis calicibus, beatis angelis & hominibus conceditur. Reale quoque vocatur, quia non ab intellectu nudè concipitur, nec à ratione tantum fingitur, sed instar beatitudinis realis fidelibus in gloria post militiam distribuitur. Supernaturale demum appellatur, quia non est à natura, neque per
natu

naturam, aut ejus vires acquiritur, neq; secundum naturam conceditur, nec ad naturalem hanc vitam pertinere dicitur, sed in omnibus naturæ sphaeram transcendit, & divinam saltem originem & conditionem admittit. Omni verò respectu *supernaturalis* dicitur *visio Dei beatifica*, sive consideremus eam quoad originem, cum ex eminentissima Dei gloria, vel ejus patefactione suum ortum sumat, sive quoad *communicationem*, quæ certe rationem omnem naturæ transcendit, sive quoad *subjecti conditionem*, quæ verè supernaturalis est, cum homo non amplius in cælo vitam naturæ, sed gloriæ vivat, sive quoad *rem ipsam*, quia Deus gloriosus, quoad *cælestem eminentiam* conspiciendus exhibetur, sive quoad *finem*, qua ratione non *cives naturæ mundanos*, sed *possessores gloriæ beatos* nos reddit, & in aliis respectibus verè, mereq; *supernaturalis* est.

3. Considerabimus autem hoc *objectum* duplici potissimum ratione (I) *Quoad Vocem*. (II) *Quoad Rem*. Quod *vocem* attinet, uno tantum *incomplexo termino* non exprimitur, sed *tribus* vocibus *incomplexis* describitur, quia *Visio Dei beatifica* dicitur. Licet vero sit *complexum voce*, tamen *incomplexum est re*, vel *significatione*, quia *rem unam* determinatè significat, quæ tamen nostrum intellectum, & conceptum fugit, & quoad imbecillitatem nostram multa gloriose comprehendit. Dicitur (1) *Visio ratione modum*, quia *per modum visionis* explicatur, *per visionem externam* adumbratur, & in *visione* consistere, juxta sacras literas, perhibetur, quemadmodum ex sequentibus apparebit. (2) *Visio Dei, ratione objecti*, qua ratione distinguitur ab omnibus aliis visionis generibus, quia non *visio mundi*, nec *visio angeli*, nec *visio hominis*, nec *visio alius rei*, sed tantum *visio Dei* nuncupatur. Deus enim, ut summum bonum est, ita quoq; visio Dei summe bonos atq; beatos reddit. (3) *Visio Dei beatifica*, partim *ratione subjecti*, quia per hanc visionem beati homines sunt, atq; dicuntur: partim *ratione rei*, quia meram beatitudinem complectitur, & omnem beatitudinem per se conferre creditur: partim *ratione effecti*, quia beatifica hinc appellatur, quod beatos efficit, & effective beatitudinem in videntibus producit. *Quæ erit gloria, & quantæ lætitiæ*, scribit, Cyprian. l. 4. Epist. 6. *admitti, ut Deum videas, honorari, ut*

si, ut cum Christo Domino, Deo tuo. sa' utis ac lucis eterna gaudium
capias? Abraham & Isaac & Jacob, & Patriarchas omnes & Pro-
phetas & Apostolos & Martyres salutare, cum justis & Dei amicis in
regno calorum data immortalitatis voluptate gaudere; sumere illic,
quod nec oculos vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit.

4. Ex quo colligitur, quod hæc visio longo distet intervallo
ab aliis visionis Dei modis. Nam varij dantur modi Deum viden-
di, l. cognoscendi. Datur (1) Visio per naturam, qua Deum per naturam
homo videt in semetipso per notitias congenitas, de qua loquitur
Paulus Rom. I. 19. τὸ γνωστὸν ἔθεός φανερόν ἴσιν ἐν αὐτοῖς. h. e.
quod de Deo videtur, vel cognoscitur, manifestum est IN ILLIS, nim.
hominibus; ratio statim additur: ὅτι θεὸς αὐτοῖς ἐφανερώσθαι. Deo
n. ipsis manifestavit Deus igitur intellectum nostrum quasi speculæ
intuetur, & intellectu mediante sic ab hominibus videtur.

5. (2) Visio per creaturam, de qua pariter Apostolus testatur,
quod Deus invisibilem se per creationem & creaturas conspiciendum
prebeat. Invisibilia Dei è creatione mundi per ea, quæ facta sunt, in-
tellecta conspiciuntur v. 20. Intuitus igitur creaturarum est quasi
quidam intuitus Dei, quia creatorem in creaturis videmus, dum
quælibet herba, quælibet creatura suum autorem quadantenus
refert, & naturale quoddam Dei speculum est, in quo Deum cre-
atorem cernere licet.

6. (3) Visio per rationis culturam, quando nim. rectam rationem
colimus, ad Dei visionem referimus, & per intellectus operatio-
nem variis modis Deum cernimus. Sic communiter tres recen-
sent vias rationis, in quibus Deum quodammodo videre, vel co-
gnoscere datum est, nim. (a) viam negationis, vel defectionis, quan-
do varios in rebus creatis defectus observamus, & quid Deus non
sit per negationem, vel remotionem illorum defectuum notamus,
atq; sic Deum ab omnibus defectibus purum intuemur. (b) viam
eminentiam, vel perfectionis, quando varias perfectiones in creatu-
ris cognoscimus, eas eminenter super omnem finitum naturæ
statum ad infinitudinis eminentissimæ sphaeram usq; provehi-
mus, omnes infinitas ejusmodi perfectiones colligimus, & sic in
illis infinitis perfectionibus, propter imbecillitatem nostræ men-
tis ad unum conceptum non collatis, ad unum tamen perfectis-
simum.

simum Numen relatis, Deū gloriosum cernimus. (c) *viam causati-
onis, vel effectiōis*, quando mens nostra Deum, autorem omnium
rerum, & creatorem unicum, in effectis, sapientissimè, potentissi-
mè, vel etiam optimè productis, tanquam *causam primam, sum-
mam & adequatam*, intuemur.

7. (4) *Visio per Inſpirationem*, quando nim. Deus olim in certa
quadam assumpta forma comparuit, & se conspiciendum homi-
nibus præbuit, sic omninò non tantum videri potuit, sed actu
quoq; visus est, sicut *Esaias c. VI. i. testatur: In anno, quo mortuus
est Rex Ozias, VIDI Dominum, sedentem super solium excelsum &
elevatum, & simbria ejus replebat templum: Seraphim stabant super
ipso, singulis erant sex ala, duabus velabant faciem suam, & duabus
velabant pedes suos, & duabus volabant, & clamabant alter ad al-
terum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Exerci-
tuum, plena est omnis terra gloria ejus. Similes apparitiones & visiones
passim in S. L. inveniuntur. Conf. Gen. XII. 1. XXIX. 13. XXXII,
24. I. Reg. XXI. 19. Dan. VII. 14. &c.*

8 (5) *Visio per scripturam*, quia scriptura nihil aliud est, quam
mysticum Dei speculum, in quo Deum ipsum, ejus voluntatem & o-
mnia, quæ sunt in Deo, quæq; nobis revelata sunt, cernere possu-
mus, de quo *visionis modo* loquitur *Paulus I. Cor. XIII. 12. Videmus
nunc per SPECULUM in enigmate, tunc autem à facie ad faciem:
nunc cognosco ex parte, tunc a. cognoscam, sicut & cognitus sum: ubi
potissimum de visione, quæ fit in verbo, loquitur, licet suo modo
textus ille quoq; plures videndi Deum rationes includere queat,
sicut B. Bald. super b. l. observat scribens; Altera similitudo petit a
est à discrimine cognitionis superficialis & exacta v. 12. Cognitionem
superficialem facit geminam, exemplarem & enigmaticam. Exem-
plaris fit in speculo, quod exemplum rei, vel imaginem exprimit, non
rem ipsam. Tale speculum proposuit nobis Deus (1) in natura, rebusque
creatis omnibus, quæ virtutem & divinitatem ejus ostendunt Rom. I.
20. (2) in scriptura, quæ nobis Dei essentiam, voluntatem & opera quan-
tum ad salutem sufficit, satis superq; monstrat (3) in Filio deniq; suo,
qui speculum sine macula majestatis Dei & imago bonitatis illius ap-
pellatur Sap. 7. 26. Enigmaticarum divinarum cognitio fit ex or-
tione obscura & allegorica, cujus verba quidem audiuntur, sensus a.*

B

non

non percipitur. Talis est omnis nostra cognitio in rebus aivinis, etiam cum perfectionis suae gradum in hac vita assecuta est, si conferatur ad eam, quae futura est in beatorum seculo. Quod a. potissimum in his ad verbum Dei, vel specularem ejus cognitionem Apostolus respiciat, idem B. Balduinus post in aphor. Theol. num. 6. notat inquit: Sacra scriptura est instar speculi, sed non obscuri, aut impuri, sed pellucidi: est enim verbum Domini lucidum, illuminans oculos Psal. 19, 9. & lex Domini est lux Prov. 6, 23. Ideo a speculo comparatur, quia imagines tantum rerum divinarum nobis representat, quarum perfectas substantias in altera vita intuebimur &c.

9. (6) Visio per typicam *εἰσπραξίαν*, quia Deus etiam in Typis V. T. se conspiciendum praebet, & à fidelibus in sacris ceremoniis, à Deo prudenter ordinatis, videri voluit, unde non ut nuda spectacula, sed ut praesentiae vel etiam gratiae divinae specula, fideles illas ceremonias intueri debuerunt. Quotquot n. nudum opus, vel externos saltem actus inspexerunt, istam autem visionis Dei respectum neglexerunt, gravissimam Dei censuram & vindictam incurrerunt, ut constat ex Esa. I. II. Pl. L. 8. & aliis locis.

10. (7) Visio per internam fiduciam & spirituales *νοῦς*, quia nostra fides nihil aliud est, quam internus cordis, vel mentis oculus, quo Deum gratiose praesentem conspiciamus, & fiducia certa firmiter apprehendimus, ac animam nostram cum eodem spiritualiter jungimus, atque mutuam sic spiritualis visionis praesentiam institimus, quia Deus nos gratia sua clementer intuetur, & homo spiritualis fiducia sua Deum gratiose praesentem intuitu fixo semper contemplatur. Sed de his alibi pluribus agitur.

II. Differt a. haec beatifica Dei visio non uno respectu saltem à reliquis modis omnibus, cum primis (1) respectu principij, quia reliqui modi vel à Dei sapientia, vel ab ejus potentia, vel à gratia sumunt ortum, sed beatifica Dei visio non aliunde potissimum, quam à gloria Dei ducit originem. (2) ratione loci, quia reliqui modi saltem in hoc mundo reperiuntur, & vel quoad regnum potentiae, vel quoad regnum gratiae referuntur ad Deum. Sed beatifica visio tantum in caelo datur, & quoad gloriae regnum Deo tribuitur. (3) ratione immediationis, quia Deus in omnibus reliquis modis se per media quaedam certa conspiciendum praebet: sed in beatifica
fica

fica visione per semetipsum videtur, & immediatè, vel sine medi-
 is, à beatis in gloria conspicitur. (4) *ratione subjecti*: nam reli-
 quorum modorum subjectum vel est *homo naturalis*, juxta pro-
 prietates physicas consideratus; vel *homo spiritualis*, juxta condi-
 tiones & beneficia gratiæ spectatus, uterque sine gloria certa no-
 tatus: at *subjectum beatificæ visionis* est *homo beatus & gloriosus*,
 ex omni militia, vel miseria sublatus, & ad æternam gloriã trans-
 lat9. (5) *ratione modi*, qui quoad reliquos modos nõ omninò nos
 latet, sed in mediis suis quodammodo patet; verùm quod attinet
intinè beatificæ visionis, cum omnibus mediis careat, & per ipsum
 Deũ gloriosũ nobis fidelibus contingat, ideo prorsus ratione sui
 ea nobis incognoscibilis & ineffabilis est. [6] *ratione durationis*,
 quia reliqui modi visionis Dei durant in tempore, adeoque tem-
 porales sunt, & aliquando cessabunt, sed *beatificæ visio* sine tẽpore
 durat, ac in æternum perdurat, adeoq; penitus incessabilis est.
 (7) *ratione perfectionis*; omnes enim reliqui modi videndi Deum
 sua laborant imperfectione, cum per media transitoria, vel im-
 perfecta sic homines Deum videant; sed *beatificæ* dicitur omni-
 um *perfectissima*, quia sic Deus per ipsum Deum, & in Deo cernitur.
 Hinc August. in soliloq. c. 36. scribit: *Cum pervenerimus ad te sa-
 pientiæ fontem, ad te lumen indeficiens, ad te lucem inextinguibi-
 bilem, ut te non jam per speculũ in enigmate, sed facie ad faciẽ vide-
 mus, tunc satiabitur in bonis desiderium nostrum, quia nihil erit ex-
 terius, quod desideretur, nisi tu Domine summum bonum, qui eris
 premium beatorũ, & diadema decoris eorum, & letitia sempiterna
 super capita eorum &c: Videbimus in lumine tuo lumen. Quale au-
 tem lumen? Lumen immensum, incorporeum, lumen incorrupti-
 bile, lumen incomprehensibile, lumen indeficiens, lumen inextingu-
 bile, lumen incessabile, lumen increatum, lumen veridicum, lumen
 divinum, quod illuminat oculos Angelorum quod letificat juventu-
 tem sanctorum, quod est lumen luminum, & fons vitæ, quod es tu
 Domine, Deus meus &c:*

12. Hæc circa vocem notare voluimus, quantum ad rem, illud
 saltem probare suscipimus, quod detur *Beatificæ Dei Visio*. Con-
 firmatur ea (1) *ex diserta scripturæ testificatione*, quemadmodum
 dicta postea citabimus. (2) *ex summæ beatitudinis consideratione*,

quæ certè sine visione summi boni, quod Deus est, consistere non poterit, imo in hac ipsa Dei visione consistit, quod Gregor. Nysen. lib. de Virgin. testatur: Dignitas videndi Deum supremum omnium spei fastigium, & omnis desiderii ac bonorum ineffabilium finis, caput & summa est: & quod Deum videre sit omne bonum; serm. 6. de beatitud. Qui Deum vidit, quicquid in bonis numeratur, per hoc, quod vidit, adeptus est. Vitam sine fine, aeternam incorruptibilitatem, immortalem beatitudinem, regnum sine fine, letitiam continentem, spirituale ac dulce nutrimentum, gloriam inaccessam, perpetuam exultationem, OMNE deniq; BONUM. Est plenū bonū atq; gaudium. August. lib. 1. de Trinit. c. 8. Hoc est plenum nostrum gaudium, quo amplius non est frui, scil. Trinitate Deo, ad cuius imaginē facti sumus. Est pulcherrimum & jucundissimum bonum apud eundem August. in meditat. c. 27. Nihil tam pulchrum ac jucundum, quā ipsum solum mentis intuitu & cordis aviditate contemplari Deū, & miro modo invisibiliter cernere invisibilem, sicq; aliam, non istam gestare dulcedinem, & inspicere aliam, non istam lucem. Lux enim ista, qua loco clauditur, tempore finitur, noctium interruptione variatur, & quam communem cum vermibus & pecoribus habemus comparatione illius summae lucis non lux dicenda est, sed nox. Est solum bonum, vel præmium. Ibid. c. 28. Illa summa & incorruptibilis essentia, lux vera, lux indeficiens, lux Angelorum, à nemine conspici valet in hac vita, quod SOLUM PRÆMIUM sanctis reservatur in cælesti gloria. Est condimentum, ornamentum & complementum omnium bonorum, apud August. lib. 10. de Civit Dei c. 16. illa namq; visio Dei tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis præditum atq; abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere. (3) ex vitæ aeternæ conditione, quia juxta August. lib. de Spiritu & anima cap. 55. Visio Dei est tota vitæ aeterna: si mali Dei faciem viderent, pœnis carerent. Et de triplic. habitac. cap. 4. si Dei faciem omnes carcere inferni inclusi viderent, nullam pœnā, nullum dolorem, nullamq; tristitiā sentirent. Dei præsentiæ, si in inferno cum sanctis habitatoribus appareret, continuo infernus in amenum converteretur paradisum &c. (4) ex reliquorum modorum visionis DEI collatione, quia superius demonstratum, quod

quod omnes reliqui modi sint imperfecti: necessum igitur est, ut perfectissimus etiam videndi Deum modus concedatur, ad quem omnes reliqui referantur, & cui subordinentur, qui non est alius, quam beatificus videndi Deum modus. Hinc Anselm. Comment. in 1. Cor. 13. scribit: *Fides cessabit, dum futura, quæ creduntur, advenerint, & spes finem habebit, dum beatitudinem, quam quisq; prestolatur, acceperit: sola verò charitas in æternum perseverabit, & de visione conditoris ac beatitudine sanctorum sine fine gaudebit.* Et Iren. lib. 4. adv. hæres c. 37. *Potens est in omnibus Deus visus quidem, tunc per spiritum prophetia, visus est autem & per Filium adoptivæ, videbitur autem & in regno cælorum paternaliter, spiritu quidem preparante hominem in Filium Dei, Filio autem adducente ad patrem, patre autem incorruptibilitatem donante in vitam æternam, quæ unicuiq; evenit ex eo, quod videat Deum. Quem admodum enim videntes lumen intra lumen sunt, & claritatem ejus recipiunt: sic & qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem. Vivificat autem eos claritas, percipiunt ergo vitam, qui vident Deum.*

13. Nunc pergimus ad alterum tractationis nostræ membrum, videl. ad Principium cognitionis, unde nimirum cognosci queat, vel debeat, tam Existentiæ, quam Naturæ beatificæ Dei visionis, cum aliis hujus doctrinæ mysteriis. Notamus igitur, quod principium Cognoscendi beatificam Dei visionem non sit (1) Natura. Licet enim natura, quod optimum est, intendere soleat, ac proinde Dei visionem optimam respicere debeat, tamen de hac visione Dei nihil natura tradit, neque quicquam de ea nobis cognitum. Natura tamen nostra naturalium bonorum spheram non transcendit, & intra circuitum illorum acquiescit, ultra suum circulum adscendere nescit. Naturalem igitur autoris sui contemplationem non negligit, sed supernaturalem ejus visionem non tradit, imò nihil quicquam de eadem novit. Ignoti verò nulla cupido, nec ejus ulla datur intentio. Huc accedit & illud, quod natura nostra, juxta scripturam, tota corrupta sit, cum primis quoad gratiæ & gloriæ beneficia, licet natura quoque perierint officia: quod igitur olim in statu primæ perfectionis præstare valuisset,

valuisset, nunc vel tentare, vel præstare non potest. Nec à *debere*, vel ad *posse*, vel ad *feri* valet consequentia. Multa natura nostra Deo creatori debet, quæ tamen nec actu facit, nec facere potest.

14. (2) *Nec creatura*. Quamvis enim liber Creaturarum amplissimus sit, & non paucos, nec contemnendos *visionis Dei modos* nobis hominibus offerat, tamen universum creaturarum theatrum nullum *beatificæ visionis Dei fundamentum*, vel *apertum documentum* exhibet. *Beatificæ Dei visio* non à *creaturis* pendet, sed à *creatore*; neque tamen ex *creaturarum omnium productione*, sed ex *creaturarum rationalium glorificatione* sumit originem. Præterea non est *hujus seculi*, quod creaturis à Deo conditis proprium, sed *alterius seculi*, quod creaturis salvatis & glorificatis appropriatum: nec est *hujus mundi*, qui creaturarum omnium habitaculum, sed *gloriosi cæli*, quod gloriosum beatorum domicilium. Nec illa gloriosa visio quicquam commercii habet, cū naturali rerum creaturarum contemplatione, cum multis parasangis omnem naturæ spheram illa transcendat: hinc etiam non ad *regnum potentie*, quod *creaturarum* esse dicitur, sed ad *regnum gloria*, quod *beatorum* est, unice refertur.

15. (3) *Nec ratio recta*. Multa quidem, eaque non vulgaria, *rationis recte* studium indagare potest, sed in illis *objectis*, quæ *rationis* sunt, & *circulum rationis* non transcendunt: tale cum sit *objectum visio Dei beatificæ*, nihil de hac ratio sibi promittere novit. Scotus quidem in 4 *dist. 49. quest. 8.* existimat, *ratione naturali* demonstrari, hanc visionem esse possibilem, hoc modo: *Visio intuitiva est perfectio simpliciter potentie cognoscitiva, sed talis perfectio est possibilis in potentia inferiori, qualis est visus corporalis: Ergo etiam est possibilis in potentia superiori, ut est intellectus.* Nam perfectio simpliciter possibilis potentie inferioris, multo magis debet esse possibilis potentie superiori, Ergo maxime Dei, quia est perfectissimum *objectum intelligibile*. Verum hanc Scoti rationem refutat Suarez p. 1. l. 2. c. 7. n. 7. & 8. Et certum est, quod talis *analogia*, qua collectio fit à *corpore* lejus *sensibus* ad *intellectum*, & ab *objectis*, intellectui proportionatis, seu finitis, ad *objectum non proportionatum*, vel *infinitem* multis modis laboret, ut alia taceamus, quæ pro nostra sententia contra rationem adducam, militare possunt,

16. Aliam rationē pro sententiā contrariā profert Thomas p. 1.
quest. 12. art. 1. & 1. 2. q. 3. art. 7. & quest. 5. art. 1. quæ fundatur in natu-
rali appetitu, quem habet homo ad suā beatitudinem: unde con-
cludit, beatitudinem esse possibilem, quia appetitus naturalis non
est frustra; addit præterea, hunc appetitum non posse satiari, nisi
hac visione Dei, quia homo, viso effectu, cupit cognoscere causam, &
non quiescit agnoscendo illam esse, nisi & cognoscat, quid sit: appetit
ergo homo naturaliter scire, non solum an sit Deus, sed quid sit: non
potest autem cognoscere quid sit, nisi per hanc visionem. Ergo sine hac
visione nec beatificari, nec satiari potest: Ergo si beatitudo hominis
est possibilis, hac visio est possibilis. Ad hanc rationem prolixè quo-
que respondet Suarez, d. l. num. 9. seqq. Nos breviter dicimus, quod
naturalis appetitus feratur ad naturalia, non ad supernaturalia, ne
sphæram suam transcendat. (2) non tantum ad possibilea, sed sæ-
pius etiam ad impossibilea fertur. (3) appetitus iste non est integer
& perfectus, sed degener & imperfectus, & quæ sunt alia, quæ dis-
cursibus ipsis reservamus.

17. (4) Sed sola scriptura principium est cognoscendi beatifi-
cam Dei visionem. Videtur equidem scriptura non rarò nobis ad-
versa variis de causis, quando negare dicitur omnem Dei visionem
& sic etiam beatificam Dei visionem. Nam (1) sæpius Deum invisibi-
lem pronunciat, atque sic omnem videndi potentiam de Deo
negat, quomodo proinde locum habebit Divina visionis actus?
cum negata potentia negetur actus, & quod non potest videri, a-
ctu nunquam videatur. (2) scriptura testatur, sanctos angelos desi-
derare visionem, vel conspectum Dei, Petr. I. 12. non autem desidera-
tur, nisi quod non habetur. (3) scriptura disertis verbis visionem
Dei negat Job. I. 12. Deum nemo vidit unquam, hinc addit; Uni-
genitus, qui est in sinu Patris, ipse narravit: qua ratione Ange-
los & homines à visione Dei prorsus excludit, eamque soli Filio
unigenito relinquit.

18. Verum facilis est horum dubiorum solutio. Nam quod pri-
mum attinet, Deus per essentiam invisibilis est, prout omnis spiritus
per naturam invisibilis dicitur, & invisibilitas inter proprietates
spiritus numeratur, sed per dispositionis ordinem, per revelat. o-
mnis & pat. factionis gratiam, per communicationis beatificæ gloriam

100

suo modo se conspiciendum exhibere potest. Ad *secundum* dicimus, quod expressis verbis dicatur *Matth. XIX. 10. angelos semper videre faciem patris caelestis*: hæc Christi sunt verba: *Petrus* autem *discipulus Magistro* contradicere noluit, nec in rei veritate contradixit. Deinde certum est, quod non de *Deo*, sed de *Christo* sit in loco *Petri* sermo, nec de *gloria privilegij*, sed de *gratia beneficiis* in verbis istis agatur, prout totus contextus monstrat. Ad *tertium* respondemus, quod *comprehensiva visio soli Filio* competat, sicut ipse testatur *Matt. XI. 27. Nemo novit Filium, nisi Pater neq; Patrem quis novit, nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare.* Nam quod de *notitia* dicitur, de *visione* quoque conceditur. Deinde *Christus* loquitur de *visione via*, non de *visione vita*, vel de *visione in gratia*, seu *Ecclesia militante*, non autem de *visione in gloria*, seu *Ecclesia triumphante*: quo sensu *Filius* omnia nobis enarravit, eo vel sensu, vel statu, *Deum* nemo vidit unquam: jam autem *Christus* in *regno gratia* nobis omnia per verbum enarravit, prout *Johannes & Evangelista* reliqui testantur: Ergo quoad *regnum gratia*, non autem quoad *regnum gloria* nemo *Deum* unquam vidisse dicitur.

19. Cum igitur *sole scripturae principium cognoscendi visionem DEI beatificam* dicatur, omnino necessum est, ut in promptu sint certa quaedam testimonia, vel argumenta, quæ nos de *visione Dei gloriosa* certos reddant. Eorum nonnulla citabimus ex *V. & N. T.* Quod attinet dicta *T. V.* ea producimus (1) ex *Mose & aliis libris historiographis. Exod. XXIV. 9.* dicitur: *Ascenderunt Moses & Aaron, Nadab & Abihu, & septuaginta de senioribus Israel, & viderunt Deum Israel, sub pedibus ejus, quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi celum, cum serenum est.* Sic *v. 17.* dicitur: *Erat species gloria Domini, quasi ignis consumens super verticem montis in conspectu Filiorum Israel.* Licet autem hæc in *œconomia* quadam gesta sint, & *visionem nostram* immediate non exprimant, tamen *Deum esse visum*, clarissimè dicitur, ejusq; gloriosam speciè esse patefactam, unde *visio quaedam Dei*, cum primis autem gloriosa visio consequenter colligitur. *Exod. XXXIII. 19. Ego ostendam tibi omne bonum* Conf. *ib. 23.* Illustrior hoc est *Locus Job. XIX. 25. seqq. Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurre-*

resurrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea
VIDEBO DEUM, quem VISURUS sum EGO IPSE, & OCULI MEI
VISURI SUNT, & non peregrinus: reposita est hac spes mea in sinu
meo: ubi probe notandum [a) quod trina vice verbum VIDERE
repetatur, summa certitudo visionis inferatur, & active ad ho-
minem beatum, è terræ pulvere suscitatum, referatur: (b) quod
non ex necessitate ad solum Goëlem hæc visio referatur, quia Jobus
testatur, Eloab se visurum esse, quod nomen est Deo proprium, &
Patri, Filio atque Spiritui sancto commune: Disting. igitur inter
resurrectionis meritum, quod Goeli viventi tribuitur, quando Jobus
inquit: Scio, quod Redemptor meus vivit, & sic cum eo vivam, quia de
terra resurrecturus sum: & inter resurrectionis scopum, vel even-
tum, qui dicitur gloriosa Dei visio, de qua postea Jobus verba facit.
Goel equidem hic non excluditur, solus tamen non includitur,
sed cum Patre & Spiritu unus Eloab, & sic unum objectum beati-
ficæ visionis constituitur.

20. (II) Ex Psalmis plura dicta notari possunt. Psal. XI. 7.
huc nonnulli referunt *וַיִּרְאוּ* rectum (videl. per heterosin nume-
rorum recti, secundum Rabb. Aben-Esra, Japhetum & alios) vi-
debunt faciem, vel etiam facies ejus, nim. Dei Patris, Filii & Spiri-
tus sancti, Psal. XVI. 11. Saturated latitiarum est cum vultu tuo, I.
Hebr. cum faciebus tuis. Psal. XVII. 15. Ego in justitia videbo facies
tuas, satiabor cum excitatus fuero ad imaginem tuam Psal. XXVII.
13. Credo, me visurum bona Domini in terra viventium. Psal. XXXVI.
10. Quoniam tecum vena vita, & in lumine tuo videbimus lumen.
Psal. XLII. 2. Quando erit, ut videam faciem Dei, non solum hic
in visione gratia, sed etiam alibi, in visione gloria. Augustinus etiam
huc refert illud Psal. V. 5. Mane astabo tibi, & contemplantur: cum
tenebra mortalitatis nostra transferint, scribit, tunc erit illud mane
nostrum. Et Psal. XCI. 16. Longitudine dierum replebo eum, & o-
stendam ei salutare meum.

21. (III) Ex Prophetis adducimus Esa. XXVI. 10. 11. Gratia offeretur
impio, nec tamen discet justitiam, in terra recta inique aget, etenim
NON VIDEBIT Majestatem DOMINI: Domine etiamsi exalte-
tur manus tua, non tamen videbunt; videbunt a, & confundentur ze-
lo po-

G

lo po-

lo populi, & ignis hostes tuos devorabit. Esa. LXVI, 12. Hac dicit Dominus, Ecce ego declinabo super eam, quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem Gloriam gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis. v. 13. quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Jerusalem consolabimini. **VIDEBITIS** & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini servis ejus, & indignabitur inimicis suis v. 18. Ego opera eorum, & cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis, & venient, & **VIDEBUNT GLORIAM MEAM.**

22. Ex N. T. pariter satis multa dicta pro visione Dei gloriosa citari possunt Matth. V. 8. Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt. Job. XIV. 21. Qui diligit me, dicit Christus, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum c. XVII. 24. Volo, ut ubi ego sum, etiam illi sint mecum, ut videant claritatem, quam dedisti mihi I. Cor. XIII. 12. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc à facie ad faciem. II. Cor. III. 18. Nos omnes relecta facie gloriam Domini intuentes in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. c. V. 7. Per fidem ambulamus (nim. in hac Ecclesia militante) & non PER SPECIEM (ut in Ecclesia triumphante) hinc B. Luth. reddit h. l. Wir wandeln in Glaubem und nicht in Schauen. I. Job. III. 2. Cum apparuerit, similes ei erimus: **VIDEBIMUS** enim eum, sicuti est. Heb. XII. 14. Sine sanctimonia nemo videbit Deum: eum sanctimonia proinde beati Deum videbunt. Apoc. XXII. 3. Omne maledictum non erit amplius (nim. in coelesti Hierosolyma) sed sedes Dei & Agni in illa erit, & servi ejus servient illi: & **VIDEBUNT FACIEM EJUS**, & nomen ejus in frontibus suis, & nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernae, neq; lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminat illos, & regnabunt in secula seculorum. Hæc dicta tum ex N. tum ex V. T. laudare voluimus, ut constaret, frequentissimam hujus visionis gloriosæ Sp. Dei fecisse mentionem, ut desiderium nostrum accenderet, & voluntatem nostram ad inquirendam eam inclinaret.

23. Nunc deniq; convertimur ad Principium Essendi, vel naturam ipsam Beatificæ Dei visionis, quam non tam scrutari, vel rimari, quam

ri, quam admirari, simpliciq; fide contemplari, debito in studio
juxta Sacras Literas meditari debemus. Non equidem planè no-
bis de *natura visionis hujus* constat, neq; planè revelata per Spiritū
in sacris Scripturis extat: audebimus tamen aliquid, quod possu-
mus, quia, quod volumus, non licet. Meditabimur a. *naturum bea-*
tificæ Dei visionis potissimum juxta *causarum ordinem*, adeoq; sic
primum occurrit *Beatificæ Visionis Efficiens*, quæ vel est *Principalis*,
ipse Deus, & ratione *preparationis*, quia Christus dicit *Matt. XXV.*
34. Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à con-
stitutione mundi. Quid est cæleste regnum? quærit Nazianz. respon-
det *visio summi Dei. O tu vita*, scribit *S. August. in Meditat. c. 22. quam*
preparavit Deus his, qui diligunt eum, ubi DEUS FACIT ad FAGI-
EM cernitur, & hoc vita cibo mens sine defectu satiatur: & ratione
manifestationis, quia *Mosi* dicit Dominus *Exod. XXXIII. 19. Ego*
ostendam tibi OMNE BONUM (nim. post hanc vitam ostendam
tibi me ipsum, in quo non est nisi bonum, est omne bonum; osten-
dam v. tibi me ipsum per claram visionem) sed v. 20. *non poteris vi-*
dere faciem meam, in hac videl. caduca vita, ubi saltem *posterius*,
vel opera mea videre poteris: & ratione *participationis*, quia per
hanc visionem *Deus in omnibus omnia* futurus dicitur *I. Cor. XV.*
28. adeoq; noster erit vera participatione. Tunc, ut inquit Dionys. de
divin. Nomin. c. 1. quando incorruptibiles, immortalesq; facti erimus,
& ad imaginem Christi beatissima dignati requie, semper cum Domi-
no erimus. VISIBILI quidem ipsius divina presentia castissime *CON-*
TEMPLANDO fruentes, lucidissimis nos circumfulgente luminibus,
non secus ac discipulos in sacratissima illa transfiguratione sua. Porro
Spiritualis ipsius & intelligibilis lucis (carente perturbatione omni &
materialibera) *PARTICIPES* facti ejus, qui sensum omnem superat, u-
nionis lucidissimorum radiorum incognitis ac beatissimis jaçtibus eri-
mus *super cælestes Spiritus & c.* unde *Scalig. Exerc. 307. scribit: Beati-*
tudo est fruitio summi boni: sed quid est fruitio? PARTICIPATIO.
Quomodo participatur ei, qui fruitur? non abscedit ab illo illa pars,
ut huic communicetur, sed hoc cum illo unum, quo potest modo, fit.
Quo potest modo? potestne finitum unū fieri cum infinito? non hoc, quo
illud infinitum est, sed quo bonum, hoc finitum fit cum illo unum per

similitudinem. Hoc de ea beatitudine, quæ in subiecto est, & quæ subiectum fit beatum. Fit ergo, quia una fit beatitudo cum illa beatitudine, quæ neq; in subiecto illo est, neq; ipsa subiectum ullum.

24. Huc etiam pertinet *Causa meritoria*, quæ Christus Salvator noster est, quia ipse *Via, veritas & vita nostra* Job. XIV. 6. ipse *vita eterna*, teste Johanne I. Epist. I. 2. *Annunciamus vobis Vitam eternam, quæ erat apud Patrem, & manifestata est nobis, & c. V. 20. Hic (Christus) est verus ille Deus, & vita eterna: & ipse testatur Job. X. 28. Ego vitam eternam do omnibus meis, nec peribunt in aeternum, neq; rapiet eas quisquam de manu mea: & v. 9. Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet: in quem locum pulcherrime scribit Gregor. hom. super illud Joh. 10. Per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Ingradientur ad fidem, egredientur a. à fide AD SPECIEM, pascua a. invenient in eterna refectioe. Oves eij ergo pascua invenient, quia quisquis illum corde simplici sequitur, eterno viriditatis pabulo nutritur. Quæ a. sunt istarum ovium pascua, nisi interna gaudia semper virentis paradisi? Pascua namq; Electorum sunt PRÆSENS DEI VULTUS, qui dum SINE DEFECTU CONSPICITUR, sine fine mens vitæ cibo satiatur. In istis pascuis de eternitatis satietate latantur, quia jam laqueos voluptuose temporalitatis evaserunt. Et certe Christus est unicus æternæ vitæ promus condus, quia hæc est gratuitum Dei donum per Christum Jesum Dominum nostrum Rom. VI. 23. adeoq; pariter *beatifica visionis*, cum sit *δεξιός σωτηρίας ημών* Heb. II. 10. qui nobis merito suo felicitatem omnem reparavit.*

25. *Causâ ministeriali* in æterna vita non erit opus, quia Deus *erit omnia in omnibus*, quod pertinet etiam locus ille Jerem. XXXI. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ERO EIS IN DEUM, & ipsi ERUNT MIHI IN POPULUM: Et non docebit ultra Vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens: COGNOSCE DOMINUM: omnes enim cognoscent me a minimo eorum, usq; ad maximum, ait Dominus. Interim ut fideles ad salutem & æternam Dei visionem perveniant, in Ecclesia militante, ministerio dicitur opus, inde dicuntur per *Stultitiam prædicat**

dicationis saluos facere credentes, idq; ex singulari Dei beneplacito
I. Cor. I. 21. *Placuit Deo per stultitiam predicationis saluos facere cre-*
dentes, h. e. Deum in gloria semper intuentes, & in hac visione
beatitudine mera gaudentes: & hinc Paulus Timotheo suo scribit
I. Tim. IV. 16. Attende tibi ipsi doctrina, persiste in his. Nam si id fece-
ris, & te ipsum saluabis, & eos, qui audierint te. Huc igitur pertinet
illustris locus *Dan. XII. 2. In tempore illo saluabitur populus tuus o-*
mnis, qui inventus fuerit scriptus in libro. Et multi de his, qui dormi-
unt in terra pulvere evigilabunt, alij in vitam eternam, alij in oppro-
brium sempiternum. Qui a docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor fir-
mamenti, & qui ad justitiam erudierunt multos, quasi stelle in per-
petuas eternitates. Ubi peculiaris splendor Ecclesie ministris tri-
buitur, & suo modo reliquis beatis uniuersis conceditur, splendor
nim. iustitiae, quo *Soli iustitiae Malach. IV. 2. conformabuntur, & De-*
um, ut aeternum iustitiae Solem, sine fide contemplantur.

26. *Causa instrumentalis* in aeterna gloria pariter non erit am-
plius ex parte Dei, *Verbum Dei*, quia Christus regnum gratiae, mo-
dumq; specialem per uerbum & sacramenta tradet Patri I. Cor.
XV. 24. & statim post iudicium extremum cum regno gloria per-
mutabit. Est igitur *uerbum medium visionis Dei acquirenda*, non
possidenda, quia nunc per *uerbum*, quasi per *speculum*, Deum cerni-
mus in *enigmate*, sed tunc a *facie ad faciem* I. Cor. XIII. 12. Et hic igitur
Deus in omnibus omnia futurus est I. Cor. XV. 28.


27. Accedimus nunc ad *Causam Materialem beatificae visionis*,
quae pro distincta consideratione uarietatem aliquam admittit.
Est n. alia *Materia in qua*, vel *subjectum*, alia *circa quam*, vel *obje-*
ctum, alia *ex qua*, vel *constituens principium*. *Subjectum beatificae vi-*
isionis & *Angeli* sunt, & *Homines*. De *Angelis beatis* Christus ipse di-
cit, quod *semper videant faciem Patris caelestis Matth. XIX. 10.* De
Homnibus etiam testantur dicta superius *ib. 19. & seqq.* citata. Ubi
tn. notandum, quod *subjectum* hoc non considerari debeat in *sta-*
tu natura, siue *integra*, quam Protoplastis tribuimus, siue *corruptae*,
quam nos omnes post lapsum possidemus. Licet n. *Adam* cum *E-*
ua suo modo Deum uiderint, & audierint, tn. ea visio tantum fu-
it *creatrix*, vel *conservatrix communicationis*, non *salvatrix* pos-
sessio.

sessionis, vel etiam gloriosa perfectionis. De hominibus a. post lapsam
valet & manet illud, quod Deus sit invisibilis, & lucem in habitate
inaccessibilem, ita ut nullus hominum eum viderit, nec videre potue-
rit I. Tim. VI. 16. Neq; subjectum illud considerari debet in statu gra-
tia: nam quod Deus Mosi dixit Exod. XXXIII. 20. Non poteris vide-
re faciem meam: non n. videbit me homo, & vivet: illud etiam aliis
fidelibus convenit, unde Mattheus nos c. XI. 27. ad Filium, ejusq;
revelationem remittit, quod etiam Joh. c. I. 18. facit, hinc Christus
ipse dicit: Qui videt me, videt Patrem Job. XIV. 9. Paulus etiam no-
bis verbi speculum & symbolum commendat, ut in eo Deum con-
templemur, & cognoscamus I. Cor. XIII. 12. sed in statu gloria sub-
jectum consideratur: quia homines hic erunt ἰσὺς θεοῖ Luc. XX. 36.
Sicut n. Angeli in cælis erunt, scribit Beda in Marc. XII. ita & erunt
sancti, qui gloria resurrectionis innovati absq; ullo mortis metu, & a-
que ulla labe corruptionis, perpetua Dei visione fruuntur: nam visio-
ne Dei fruuntur, quatenus beati sunt, cum & in Domino vivunt,
& in gloria regno degunt, ita ut hac visione Dei ne utiquam in
statu suo beato carere possint, unde Discipulus de tempore dictum
Augustini citat, quod Deum videre ita sit delectabile, ut potius velit
esse in inferno, & Deum videre, quam in celo, & ejus visione carere.

28. Objectum quod attinet, illud, ut dicta Scriptura superius ci-
tata loquuntur, uno verbo Deus est, & in Deo simul omne bonum,
summū bonum, plenum bonum, pulchrum atq; jucundum bonum, uni-
cum & solitarium bonum &c. Conf. th. 12. Videbimus igitur (a) De-
um, ut habet B. August. serm. 64. de Verb. Dom. secund. Joban. Erimus
illic salvi, erimus incolumes, erimus viventes, erimus sine pœnis,
erimus sine fame & siti, erimus sine defectu, erimus sine orbitate
oculorum nostrorum. Totum hoc dixi. & quid habebimus plus?
Nondum dixi: VIDEBIMUS DEUM. Hoc a. tantum erit, & tanta
res erit, ut ejus comparatione nihil sit totum. (b) ipsam Deitatem,
sicut scribit Beda in c. II. Marc. O quanta felicitas Deitatis visioni
inter Angelorum choros adesse perpetuò, si tanta transfigurata
Christi humanitas, duorum societas Sanctorum, ad punctum vi-
sa delectet, ut eos ne descendant, & Petrus obsequio sistere velit. (c)
Trinitatem, ut inquit Nazianz, orat. ad Patrem ob grandinis cala-
mitatem:

mitatem; Beatos lux excipiet ineffabilis, & SANCTÆ ac REGIÆ
TRINITATIS Contemplatio radios suæ lucis illustrius & purius
in mentes nostras spargentis, & toti menti totaliter commixta,
quam ego solum regnum coelorum potissimum esse arbitror. (d)
Patrem, Filium & Spiritum S. ac peculiare ejus *notas*, quod obser-
vamus ex *Bernhard. de Meditat. c. 4.* Omnes delectantur de Deo,
cujus aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Delecta-
bilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruen-
dum; ipse per se placet, & per se sufficit ad meritum, sufficit ad præ-
mium, nec extra illum quicquam quæritur, quia totum in illo in-
venitur, quicquid desideratur. Semper libet eum adspicere, sem-
per habere, semper in illo delectari & illo perfrui, &c.
Ibi videbimus, quam dulcis est Dominus, & quam magna multi-
tudo dulcedinis ejus. Videbimus gloriæ decorem, sanctorum splen-
dorem, & regiæ potestatis honorem. Cognoscemus PATRIS PO-
TENTIAM, FILII SAPIENTIAM, SPIRITUS S. BENIGNISSI-
MAM CLEMENTIAM, & ita habebimus notitiam summæ illius
Trinitatis. Nunc corpora per corpus videmus, imagines etiã cor-
porum Spiritu cernimus, tunc v. Trinitatem ipsam puro mentis
intuitu videbimus. O beata visio, videre Deum in seipso, videre
in nobis, & nos in eo felici jucunditate & jucunda felicitate &c.
Hæc erit summa illius contemplatio, hæc erit summa illius felici-
tatis, quoniam intelligetur in suo puro esse sincera divinitas,
comprehendetur in ea incomprehensibilis Trinitas. Patebunt ar-
cana divinitatis, videbitur & amabitur Deus, & hæc visio & de-
lectatio totum cor hominis implens & satians, tota erit illius be-
atitudinis consummatio.

29. Quod autem ulterius hoc concernit *objectum*, notandum
est, quod dupliciter considerari possit (1) *absolutè* quatenus *in*
se Deus, ut essentiã *unus*, personis *trinus*, nim. *Pater, Filius & Spi-*
ritus S. consideratur (2) *relate*, quatenus *nobis Deus*, & prout *no-*
bis Pater, Goei & Spiritus est, ut *nostrum bonum, verum, merum &*
summum bonum: non tam *priorem*, quam *posteriorem* statum at-
tendimus, licet verissimum sit, Deum gloriosum aliter se habe-
re non posse. Et ex scripturis notum, quod non tantum *Eloah*
Deus

Deus per essentiam Job. XIX. 26. & sicuti est 1. Job. III. 2. sed etiam Dei  vel facies, per quas Rabbini cum Theologis & Philologis personas intelligunt Ps. XI. 7. XVI. 11. XVII. 5. & c. Dei Majestatem, Esa. XXVI. 10. 11. Dei gloriam c. XXVI. 18. omne Dei bonum Exod. XXXIII. 19. Beatifica visionis objectum constituatur.

30. Hinc in Scholasticis varix questiones, dubitationes & disputationes, circa beatifica visionis objectum, sunt exortæ, nimirum (1) An Deus per essentiam, aut in substantia sua videri queat? Vid. Vasquez. in 1. p. Thom. 1. quest. 12. art. 1. Suarez. ibid. l. 2. c. 7. Becan. tom. 1. c. 9. q. 1. ubi contra quosdam recentiores Græcos apud Armacanum l. 14. quest. contra Armenos, & contra ipsos Armenos, id ipsum affirmatur. Nos missis variis Scholasticorum conclusionibus, & explanationibus prolixis, hic saltem urgemus locum unicum Johannis I. Ep. III. 2. Charissimi, nunc Filij Dei sumus: & nondum apparuit, quid erimus. Scimus a. quoniam cum aparuerit, similes ei erimus; quoniam **VIDEBIMUS EUM, SICUTI EST.** Loquitur autem Apostolus de Deo Patre, prout ex v. 1. constat: Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & simus.

31. (2) An videntes Divinam Essentiam necessario videant omnia attributa Dei? ubi Suarez. d. l. c. 22. varias sententias proponit (a) Osham. in 4. sent. q. 13. non solum de facto non videre beatos omnia hæc attributa, sed neq; videri etiam posse omnia simul ab intellectu creato: cui opinioni quoq; favere dicitur Richard. in 3. d. 14. art. 1. q. 4. (b) Ferrar. d. l. c. 56. ait, Beatos videre quidem infinitatem Dei, sed non totam, adeoq; sic omnia quidem attributa videri à quolibet vidente Deum, non tñ. omnem modum uniuscujusq; attributi non solum quod ex parte videntis non omnimodo videtur; hoc enim non faceret inæqualitatem ex parte objecti, sed quod non omnem modum, quem in objecto attributa habent, videant omnes videntes talia attributa. (c) Beatos de facto videre omnia hæc attributa propter perfectionem beatitudinis, non tamen hoc esse necessarium ex vi visionis, sed absolute posse videri essentiam sine attributis. Quæ sententia Scoto tribuitur propter certas quasdam hypotheses. (d) Capreol. in 1. dist. 17. q. 2. art. 3. ad 8. videtur aliam vovere sententiam: licet neget posse videri divinam

divinam essentiam, quando videantur ejus attributa, nihilominus supposita visione, per quam omnia videantur, ait per alium actum posse videri unum attributum sine alio. His sententiis suam adjungit *Suarez*, omnes videntes Deum videre & perspicere omnia attributa & omnem essentialem perfectionem Dei formaliter in ipso existentem, neque aliter fieri posse, etiam de potentia absoluta, supposita clara Dei visione, prout in se est. Hanc etiam nos probamus sententiam, eamque demonstramus ex *Exod. XXXIII. 19.* ubi Deus in clara sua visione *bonum omne videndum pollicetur. Qui vero bonum omne videt in Deo, videt etiam omnia Deitatis attributa.*

32. (3) *Utrum beati videntes divinam essentiam videant simul etiam tres personas?* ubi *Suarez. d. l. c. 23.* recenset opinionem *Scoti in 1. d. 1. q. 2.* qui de potentia absoluta affirmat, posse videri Deum essentialiter subsistentem in divinitate, non visis relativis subsistentiis, & consequenter affirmat, posse videri duas personas inter se relatas, ut Patrem & Filium, non visam tertiã, ad quam per illas relationes duas non referuntur. Negat tamen posse videri unam personam non visam alia, ad quam refertur, quia relativa sunt simul cognitione. Altera opinio distinguit inter *notitiam apprehensivam & judicativam*: & de *apprehensiva intuitiva* negat, posse videri essentiam sine personis: de *judicativa* vero dicit fieri posse, ut cognoscatur essentia sine personis, quia potest Beatus judicare, Deum esse unum, non advertendo, nec judicando, quomodo generet, & Deus potest concurrere ad unum, non concurrente ad aliud, ut idem *Scotus in 4. d. 49. artic. 3. conc. 2.* cum nonnullis *Thomistis* sentit: sed juxta tertiam opinionem, quæ *Thomas* tribuitur *1. p. q. 12. art. 7. ad 2. & 3.* dicitur, *necessarium omnino esse, ut visam essentiam, videantur persone omnes, eodem modo, quo videtur essentia.* Plura vid. d. l. Nos dicimus simpliciter, quod omnino videntes essentiam gloriose videant etiam personas, unde plerumque *Scriptura* Dei, juxta sacrarum literarum testimonia, videre perhibentur, prout superius notavimus.

33. (4) *Utrum videntes Deum videant, l. videre possint liberos actus voluntatis ipsius?* De hac questione *Suarez. d. l. c. 24.* distinctos

D

recenset

recenset modos. *Unus est, videntem Deum necessario videre omnia decreta libera voluntatis divinæ, atq; adeo omnia consilia, & omnes rationes operum illius. Et fundamentum hujus opinionis dicitur, quia hoc decretum est formaliter in Deo, & est substantia ejus, nec magis ab illa distinguitur, quam reliqua attributa: Ergo sicut visio Deo necessario videntur attributa; ita necessario videntur hæc decreta. Secundus modus est, esse impossibile visio Deo, videre in ipso hujusmodi decretum liberum. Fundamentum sumitur ex eodem principio, aliter applicato, quia liberum decretum voluntatis Dei nihil addit in re ipsa actui necessario, quo Deus se amat: Ergo ex vi visionis Dei non potest videri in ipso per visionem, quæ non sit ipse Deus. Media vero via Svarazio placet, quod primo dicendum, non esse necessarium, ut qui videt Deum, videat omnia consilia libera voluntatis ejus. Secundo, non esse impossibile, visio Deo, videre determinationem liberam voluntatis ejus, imo credendum est, de facto beatos hæc videre, non omnes omnia, sed singulos pro ratione status ac beatitudinis. &c. Verum dist. inter decreta salutis & arcana felicitatis, quæ faciunt ad beatitudinis vel productionem, vel constitutionem, vel conservationem &c. & inter decreta libera voluntatis, vel etiam solius Deitatis, quæ Deo propria sunt, ad nostram autem beatitudinem nihil conferunt: illa, non hæc videbunt: dist. inter visionem ipsam, & visionis peculiarem revelationem. Deus equidem talia decreta suis coelitibus revelare potest, ad essentiam tamen visionis, aut beatitudinis illa non pertinent.*

34. (5) *An, viso Deo, videri possint, & actu videantur in ipso creatura? Varia quidem de hac questione Scholastici disputant, quæ nunc ex studio brevitatis attingere nolumus: nos breviter dicimus, quod prius negari nequeat, quia certum est, quod in Deo creaturas videre non repugnet: sed posterius audacter affirmandum non est, cum primis quoad universalem omnium creaturarum contemplationem, quia beatitudo nostra non tam ex creaturarum, quam ex ipsius Dei visione pendeat. Licet, inquit B. Jacob. Mart. d. 7. Theol. Schol. Becan. q. 13. creatura, quæ
sensus*

penus sunt in Deo, sint idem cum essentia divina, tamen pertinent ad res voluntarias, ut sunt decreta & similia, qua ad illa possunt referri. Si ergo nemo beatorum potest voluntarias cogitationes alterius beati sine revelatione videre: ergo multo minus sine peculiari manifestatione videbunt Beati conceptus de creaturis in Deo, licet sint essentielles.

35. *Materiale principium, vel constitutionis, à nobis ignoratur, neque necessarium esse dicitur, cum inter composita hæc Dei visio necessario non referatur: interim nostræ mentis imbecillitas omne bonum, in hac visione cumulatam, concipit: Qui Deum videt, scribit Gregor. Nyssen: QVICQVID IN BONIS NUMERATUR, per hoc quod vidit, adeptus est. Vitam sine fine, aternam incorruptibilitatem, immortalem beatitudinem, regnum sine fine, latitiam continentem, spirituale ac dulce nutrimentum, gloriam inaccessam, perpetuam exultationem, OMNE deniq; BONUM. Hoc enim est: eminentissimum illud beatificæ visionis mysterium.*

36. *A causa materiali digredimur ad causam formalem. Beatificæ visionis, quæ nec in divinis literis planius revelatur, nec ab intellectu nostro plenius indagatur, ideo quoad planam & plenam conditionem à nobis ignoratur, quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ Deus preparavit se diligentibus I. Cor. II. 9. interim quoad aliqualem & generalem indagationem quodammodo rationem visionis illius explicare non incongruum.*

37. *Scholastici disputant de eo, num per naturales vires hæc visio contingat? apud Suarez. d. I. cap. 8. vel an sit connaturalis alicui creaturæ, vel intellectui creabili? c. 9. utrum fiat ab intellectu proximè videntis ipsum c. 10. an videatur Deus per verbum creatum productum à videntibus ipsum? c. 11. an videatur per speciem creatam? cap. 12. an de potentia absoluta possit videri Deus, prout est in se, per speciem creatam impressam ejusdem Dei, ab eodem infusam? c. 13. an infundatur lumen gloriæ videntibus Deum? c. 14. an de absoluta potentia possit videri Deus sine lumine gloriæ? c. 16. an sit visio Dei con-*

naturalis intellectui lumine gloriæ informato? c. 17. de his & aliis quæstionibus prolixè disputatur à scholasticis, quas modo dimittimus, & totam causam, quoad modò fieri potest, ex scriptura tractabimus.

38. In hac autem de modo *Visionis beatificæ* declaratione, primum *negativè*, postea *positivè* progrediemur. Dicimus igitur, quod *modus visionis* (1) non sit *naturalis*, sive *visio per exterum sensum*, sive per *internum intellectum*, tanquam *media naturalia*, designetur: nam hoc definivit Paulus I. Cor. II, 9. quod *oculus non viderit, nec auris audierit*, quibus negatur *cognitio gloriæ sensualis*, nec in *cor hominis descenderit*, quo removeretur *cognitionis actus intellectualis*, quæ Deus beatis præparavit: quæ verba cum *ampliatione* sunt intelligenda, quod videlicet *naturalis oculus, auris & intellectus* ea capere non possit. Nam si naturalis, vel animalis homo non percipit bona gratiæ, vel quæ sunt spiritualia I. Cor. II, 14. multo minus ipsa *gloria bona*, vel *coelestia* percipere poterit, quemadmodum ipse Christus colligit Joh. III, 12.

39. (2) *Nec artificialis*: multa siquidem *Opticæ* beneficiò videntur, quæ alias videri non possent, & maxima datur instrumentorum opticorum varietas, multiplex utilitas, & admiranda jucunditas, quia non tantum rerum longitudinem, latitudinem, altitudinem, profunditatem & alias quantitatis formas accuratè conspicerè possumus, sed etiam longè distantia, ceu præsentia, minima tanquam maxima, maxima ceu minima, tenuissima ceu crassissima & vice versa, multaq; alia mirabili artificio cernimus: sed in vita coelesti nullis opus erit tubis, nullis aliis instrumentis, omnis cessabit *optica*, & omne mundanum artificio finem suum habebit, quia Deus erit *omnia in omnibus*, nec per artificio aliquod vanum, sed per beneficium gloriæ solidum sese conspiciendum exhibebit.

40. (3) Neq; *ceremonialis*, vel *legalis*, quemadmodum Deus olim varias *ceremonias* præscripserat, variosq; typos instituerat, ut in iis se conspiciendum *Israelitis* exhiberet, quæ ratione *in typis antypum, in umbris rem ipsam* conspicerè debuerunt: sed
illa

illā ceremonialis visio propria *Vet. Testamento* fuit, & jam ab in-
tuo *Nov. Testamenti* cessare debuit, unde quoq; jam dudum des-
sit: & in vita futura *res* erunt, non *umbra*, *operti cultus* cessa-
bunt, *aperiti cultus* in omnem æternitatem durabunt, nullis opus
erit *ceremonijs*, & alijs, quæ nostra præsens imbecillitas requirit,
sed imbecillitas omnis expirabit, & sic etiam *ceremoniarum* usus
penitus exulabit.

41. (4) Neq; *figuralis*, qua ratione Deus extraordinariè
sæpius *varias figuras* assumpsit, & in iis assumtis formis homi-
nibus se conspiciendum præbuit: sub *imagine viri sedentis in solio*
visus est *Esaiæ c. VI. 1.* sub *figure antiqui dierum Danieli Dan. VII.*
14. sub *specie judicis sedentis Michæ I. Reg. XXII. 19.* &c. cum
primis autem *Filius Dei* sæpius vel *hominis*, vel *angeli* formam ex-
ternam assumpsit, & frequentissimas apparitiones instituit, & sic
ab hominibus visus est: sed cum Veteri Testamento ferè desie-
erunt illæ apparitiones, nec de talibus ullum promissum ho-
die habemus, inde multo minus figuris istis in æterna vita locus
concedetur.

42. (5) Neq; *Verbalis*, vel *specularis*, qua ratione *Paulus*
testatur, quod nunc per *Speculum* videamus in *anigmate*: qualis
visio non tantum in *audibili*, sed etiam in *visibili verbo* sacramen-
torum invenitur: sed omnis ista *visio* refertur ad *regnum gratiæ*,
non ad *regnum gloriæ*, ad *Ecclesiam militantem*, non *triumphan-
tem*, ad *beneficia spiritualia*, non ad *cælestia*, & reperitur in *fide-
libus*, non in *cælitibus*, vel *beatis*.

43. (6) Neq; *visio spiritualis*, quæ per fidem in hac vita
nobis contingit: nunc enim *PER FIDEM AMBULAMUS*, & sic
spiritualiter Deum videmus, quia *fides* est *internus piorum occu-
lus*, quo perpetuo *Deum* respiciunt, utpote qui *solitarium perpe-
tuum & adequatum* hujus *oculi mystici objectum* est: sed non
PER SPECIEM II. Cor. V, 7. tunc autem videbimus Deum non
amplius *PER FIDEM*, sed potius *PER CLARISSIMAM ET
PERFECTISSIMAM* atq; *GLORIOSISSIMAM SPECIEM*:
hinc *regnum fidei & visionis* sic distinguuntur, ut illud *Ecclesiæ
militanti*, hoc *triumphanti* sit proprium.

D 3

44. Ut

44. Ut autem *positivè* quoq; de modo *Beatifica Visionis* aliquid proferamus, dicimus quod (1) *ratione principij*, sit *super-naturalis*, quia nihil ex natura reperitur, sive microcosmum, sive macrocosmum respiciamus, quod huic visioni saltem aliquid originis dare possit; *natum* non capit hujus visionis eminentiam, nec ipsam ejus novit existentiam, non igitur instar principii cujusdam ad *essentiam* ejus concurrere potest.

45. (2) *Ratione loci* dicitur *Cælestis*, quia saltem in caelo expectatur, semper in caelo reperitur, & indefinenter in caelo permanere creditur. *Cælum* igitur propria *sedes* est hujus *visionis*, cum caelorum *Dominus* sit unicum hujus *visionis objectum*, & incolæ caelestes, videl. *Angeli & Electi* homines, hujus *visionis* sint *possessores*.

46. (3) *Ratione objecti & subjecti*, vel etiam aliis respectibus, *Gloriosus* appellatur, qua ratione communiter à *Gratioso Dei*, vel *Christi salvatoris intuitu*, *visio beatifica* distinguitur, cum Deum *gloriosum*, h. est. in omnia sua gloria conspicuum videat, & glorificatis creaturis tantum in regno gloriae contingat, ut inde beati sint ac vere felices, & in æternum omni caelesti gloria coronati Deum glorificare queant.

47. (4) *Ratione mediij* dicitur vel *intellectualis*, vel *ocularis*: ut enim *medium visionis* duplex, aliud nim. *internum*, *intellectus*, aliud *externum*, *oculus*, sic etiam *visio Dei beatifica* alia *intellectualis*, alia *ocularis* appellatur: *illa* animum, *haec* corpus afficit & perficit, *illa* partem internam, *haec* externam glorificat, *illa* hominem interius, *haec* exterius illuminat: *illa* dicitur regno gratiae & gloriae communis, *haec* soli regno gloriae propria: *illa* simul angelis competit, *haec* soli homini convenit.

48. Quod autem in aeterna vita detur *intellectualis visio*, vel *perfecta Dei cognitio*, illud multis à *scholasticis* defenditur, & à *Paulo disertis* verbis asseritur I. Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per speculum in enigmate tunc à facie ad faciem: Nunc COGNOSCO EX PARTE, tunc autem COGNOSCAM, sicut & cognitus sum.* Et cum gloriosa *Dei cognitio* passim beatis adscribatur, ideo non adeo de *intellectualis visione* dubitatur: cum primis quia hoc in
secu-

seculo suo modo Deum etiam intellectu nostro cernimus, dum ipsum cognoscimus; in æterna vita vero longe major erit perfectio, vel perfectior cognitio, qua de causa dicimur etiam *ισαΰ- γελοι Luc. XX.* Sicut enim Angeli Deum intellectu suo perfecte cognoscunt, & contemplantur, ita spiritus noster hanc intellectualem Dei contemplationem cum Angelis communem habebit.

49. Sed de *oculari Dei contemplatione* Majores difficultates apud *scholasticos* moventur, qui communiter, ut apud citatos auctores legere possumus, eam negare conantur. *Communis est sententia*, scribit *Becan. p. 1. Theol. Schol. §. 9. q. 6. quod impossibile sit, Deum clare & intuitive videri oculis corporeis*, Huc etiam inclinare videntur nonnulli *patrum Ambros. l. 1. in Luc. c. 1. Iren. l. 4. c. 37. Origen. contra Celsum lib. 7. Athanas. orat. contra Idola, Theophyl. in 1. Cor. 13. August. Epist. 112. Ex Calvinianis etiam plerique negativam timentur Vid. Zanch. l. 3. de N. D. t. 2. q. 16. Martyr. class. 1. L. C. c. 4. §. 2.*

50. Et certum est, quod ne utiquam oculis corporeis visionem Dei beatificam tribuere debeamus *Sensu (1) Vorstiano*, qua ratione *Conradus Vorstius lib. de Deo & Attrib. div. p. 201. 227. & c.* statuit, propterea Deum oculis corporeis glorificatis videri in vita æterna, quia Deo vere corpus attribuendum sit, aut ad minimum attribui possit, & p. 239. quia non solum ratione *qualitatis*, sed etiam ratione *quantitatis*, dicatur *magnus*, quia p. 235. 239. vere sit *localis*, adeoque in certo loco videri possit, & quia p. 234. 235. 238. ipsam *infinitatem* Dei reddit dubiam, eumque *finitum* asserere non erubescit. Sed hæc *ἀνθρώπινα Vorstiana* nos prorsus rejicimus. (2) neque *sensum mundano*, quasi physicis oculis, iisque nondum glorificatis, juxta sensualem proportionem, & naturalem activitatem, vel etiam operationem, Deo in æterna gloria videri possit. Has enim mundanas condiciones nihil quicquam ad Dei visionem facere posse lubentes concedimus: (3) sed de *sensu glorioso, mystico & æternæ vitæ consentaneo*, nobis est sermo, quod vid. Deus noverit modum, & præstare possit, ut corporeis oculis ipse post hanc vitam in æterna gloria conspici queat. Non equidem difficiles largimur, quod etiam ex ortho-
doxis

doxis nonnulli reperiantur, qui certi quid hic affirmare, & magis τὸ ἐπιχειρῆν, vel etiam mediam quandam viam eligere malint, sed ob sequentia fundamenta nos asserimus, *Beatos oculis corporeis Deum visuros esse.*

51. Probamus id ipsum (1) *ex appellatione*, quia hæc gloriosa visio communiter *intuitiva* nuncupatur: jam autem *intuitiva visio*, quæ hominibus tribuitur non potest, nec debet aliter fieri, quam per *oculos corporeos*, cum per illos, ut organa directa & adæquata, fiat omnis humanus intuitus. (2) *ex diserta S. L. assertione*. Nam *Jobus* clarissimis verbis id confitetur: *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & non alius*: quibus testatur, quod ea ratione Deum visurus sit, quatenus in novissimo die *de terra resurrecturus*, quatenus *ratione corporis circumdationem pellis* recepturus, & quod *in ipsa carne*, Deum sit visurus: quæ singula probant hoc, quod sibi *Jobus* in fide non *intellectualem* tantum cordis & spiritus, sed *externam, sublimem tamen, carnis & oculorum visionem Dei* firmiter promiserit: unde de se *toto* non citra *peculiarem emphasin* concludit: *Ego ipse, & non alius, ego totus, ego intellectu & sensu, anima & corpore, cogitationibus & oculis Deum visurus sum.* Illustris etiam est locus *Psal. XVII. 15.* *Ego in justitia videbo facies tuas, satiabor cum excitatus fuero ad imaginem tuam*: ubi pariter *David* de se *toto*, imprimis autem quatenus ad *imaginem divinam* excitabitur, & *secundum corpus* resurget, se *Deum, vel ejus facies, cum satiatare visurum esse*, clarissime confitetur, & *digitum* quasi non ad *aliam, quam ad ocularem visionem* intendere videtur. Conferantur reliqua dicta superius *ib. 19. 20. 21. 22.* citata, quæ pariter id ipsum confirmant, cum de *vera, propria, usitata, humana visione* loquantur, quæ certè dicitur *ocularis*, cum citra necessitatem à proprietate significationis non sit recedendum. (3) *ex modo loquendi*, quia scriptura plerumque *visionem beatificam* describens *ὄψω*, tanquã *objectum*, introducit, & sic ad *ocularem visionem* respicit; *Faciem* enim non *intellectu*, sed *oculis* intueri solemus: Vid. *Psal. XI. 7. XVI. 11. XVII. 15.*

ij. XLII. 2. &c. cum primis etiam notanda venit *phrasis*, quod Deum à facie ad faciem visuri dicimur I. Cor. XIII. 18. qualis intuitus à facie ad faciem ex parte nostri non potest, nec debet aliter intelligi, quam quod per oculos faciei fieri debeat. Includit quid in intuitus suo modò etiam cognitionem intellectus, eamque juxta se requirit, unde B. August. in soli loqui c. 36. scribit: *Quid est videre à facie ad faciem, nisi quod, ut Apostolus, cognoscere sicut & cognitus sum, cognoscere veritatem tuam, & gloriam tuam b. e. cognoscere faciem tuam? Cognoscere Patris potentiam, Filij sapientiam Spiritus S. clementiam, ipsius summa Trinitatis unam & individuam essentiam. Videre enim faciem Dei vivi, b. e. summum bonum, gaudium Angelorum atq; omnium sanctorum, premium vite aeternae, gloria spirituum, laetitia sempiterna, corona decoris, braviium felicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum & externum gaudium, Paradisus Dei, Hierusalem caelestis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudiu aeternitatis, pax Dei, qua exuperatur omnem sensum. Hinc est plena beatitudo & tota glorificatio hominis videre faciem Dei sui, videre eum, qui fecit caelum & terram, videre eum qui fecit eum, qui salvavit eum, & qui glorificavit eum: sed quoad immediatam significationem ocularem contemplationem ex parte nostri sistit, id quod ex *phrasis* hujus usurpatione authentica in sacris literis apparet: non enim tantum usurpatur de clara & intuitiva Dei visione, vel essentia divina contemplatione, quae à visione naturali & spirituali hujus seculi non gradibus tantum, sed etiam specie distincta dicitur, cum alteri vitae gloriosae propria sit & particularis: sed etiam de oculari & clara Dei visione, quae cognitioni mentis contradistinguitur, sicut Jacobus in lucta Gen. XXXII. 30. à facie ad faciem Dominum vidisse perhibetur; sic etiam cum Mose Dominus à facie ad faciem locutus est: Exod. XXXIII. 11. quod per aliam *phrasin* videl. ore ad os loqui declaratur Num XII. 6, si quis fuerit inter vos propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis servus meus Moses, qui in omni mea domo fidelissimus est: ore enim ad os loquar ei: aspectu & non per enigmata & figuras Dominum videt: sicut igitur ore corporis Moses cum Domino locutus, ita quoque corporis oculis, vel aspectu faciei Dominum est contemplatus. Jam*

E

si hoc

si hoc verum de *Mose viatore* dicitur, multo magis de *beatissimis* illud asserendum. (4) *ex beatitudinis conditione*, quia beatitudo non erit *partialis*, sed *totalis*, non *solum anime* vel *intellectus*, sed etiam *corporis* vel *aspectus*; cum etiam corpus, quoad fieri poterit, gloriæ divinæ particeps esse debeat: Sicut igitur anima per intellectum Deum contemplabitur, & in hac contemplatione glorificabitur; sic etiam corpus per oculos Deum intuebitur, & sic *gloriosa Dei fruitione* donabitur. Neque minus *immediate corpus* erit *gloriosum* in visione Dei beatifica, quam *anima gloriâ beatitudinis* possidebit in illustri cognitione Dei beatifica. (5) *ex Angelorum contemplatione*, quia angeli semper dicuntur videre faciem Patris cœlestis. *Matt. XIX. 10.* hic intuitus verè dicitur *angelicus*, & juxta naturam angelicam instituendus, ut in hoc intuitu beatificò possideant omnem vitæ cœlestis gloriâ: jam *beati homines* erunt *ἰσχυροὶ*, vereque videbunt faciem Patris cœlestis, visione scilicet non alienâ, sed propria non angelica, sed humana, non partiali, sed totali, non interna saltem mentis, sed externa quoque corporis: jam autem vere humana visio, proprieque sic dicta, qua totus homo quicquam videre dicitur, proprie non aliis mediis, quam oculis fieri dicitur: qua de causa dicendum omnino, quod beati cœlestes etiam oculis Dominum visuri sint Et hæc etiam *B. Patrum*, qui rectius causam hanc indagârunt, sententia fuit. *August. l. ult. de C. D. c. 25.* scribit: *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, scilicet glorificatorum, non ut accuratius videant quàm prohibentur videre serpentes, vel aquila. Quamvis aliter natura omnium cernendi eadem animalia vigeant, nihil aliud possunt videre quam corpora: sed ut videant & incorporalia. Quicumque autem potest videre incorporalia, potest elevari ad videndum Deum: ergo oculus glorificatus potest videre Deum.* Et certe si Deus finitum intellectum elevari potest ad essentia infinitæ visionem, certe quoque corporeum oculum finitum sic elevari simpliciter ipsi non impossibile. Si quoque natura nostra sic in Christo elevari potuit, ut comprehensiva Dei visio vel cognitio personaliter ei communicaretur, non repugnat divinæ potentia gloriôsâ naturam ad intuitivam essentia infinitæ visionem evehere. Sed plura nunc addere non licet. Nos in glorioso Deo finem facimus & devoto pectore dicimus

SOLI DEO SIT GLORIA!

Publica dum rursus conscendere pulpita tentas,
Conatum laudo, *Frater amande*, tuum.
Sicut Parrhasiam spectat lapis Indus ad arcton;
Sic aternanti quæris amore DEUM.

Naturæ nuper mysteria tecta docebas:

Nunc *Visum Triados*, nobile thema, capis.

Officium porro peragas indeside nisu,

Per solvet laurum promptiter ipsa TRIAS!

Fraterni amoris & favoris ergo adjecit

Johannes Fridericus Balduinus,

Quæst. Remsav. Præf.

VIRO JUVENI,

Omni Eruditionis genere morumque probitate Polito,

CLARO

DN. M. GODOFREDO BALDUINO,

Amico suo singulari amore prosequendo,

S. D.

M. MAGNUS Gärtner /

N S

Nobile tuum, *Clare DN. M. Balduine*, institutum *Theo-*
logicum rescivi, quod quamvis ipsâ suâ nobilitate jam
tùm laudatum sit, laudandum tamen vel sive
solò nostræ amicitiae jure, ulterius putavi. Cùm verò
ligatò sive solutò sermone laudes *tibi* debitas deprædicem
parum inter sit, solutò hâc vice sermone (præeuntibus præsertim
è Majoribus nostris non paucis) stylum tuis accommdabo me-
ritis. Utinam vero plenâ ea manu ad astra ferre valerem! Ex-
cellentissima illa *Majorum* tuorum merita, specialiter magni il-
lius, heu quondam! Ecclesiæ luminis DN. D. FRIED. BAL-
DUINI, (*Patruî tui B. M. desideratissimi*) hîc copiosè deprædi-
care, quamvis non absque magno encomiorum tuorum incre-
mento fieri posset, animus haut est

Et Genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi.

Vix ea nostra voco.

Propria autem tua merita quid non laudis secum ferunt? illam in
Studiis Philosophicis ardentissimè navatam operam, illam in *dis-*

putando jam olim publicè declarata ἀκρίβειαν, illam limitati
tui iudicii ἐπέχειαν, illam civilium morum elegantiam, illam de-
nique in Sacris quoque operis ἀσέβειαν incluta hæc Leucoris no-
stra deprædicat, deprædicat laudatus quisque. En ! in Te, Amice
dulcissime, habes, quod ex Græcis Comicis succurrit: ἀνὴρ ἀείψου
εἶναι, ἀνὴρ εἶναι δυσγενής. Quicumque præstans vir est, haut ignobilis.
Degenerasse Gloria Tibi est. Degenerasse, inquam, non à Majorum
tuorum, nunquam apud nos inter moritura, consuetudine, sed à
tritò magis quàm universaliter verò, πολυτριλλύτω. Heroum pro-
steri noxæ. inde

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Quodque, Amice Svavissime, tuâ virtute eò, quò dixi, modò de-
gener es factus, eò ipsò immortale illud virtutis monumentum
(Ovidianum) tibi erexisti:

Me modò non census, nec Clarum nomen Avorum:

Sed probitas Magnum ingeniumque facit.

Arduum & nunc aggredieris opus, beatificam Dei visionem publicè
cò colloquio defensus. Materiam tibi elegisti tuò profectò in-
geniò dignam, nempe arduam. Hoc sc. illud est, quod in *Her-
cule Furente* Seneca scripsit: Virtus est, domare quæ cuncti pavent.
Maecte, Clare vir juvenis, sedulitate tuâ, sedulitatisq; tuæ glo-
riâ! *Que ad supremi Numinis gloriam studia diriguntur, nunquam
non optatum premium nanciscuntur.* id quod seriò opto, voveo,
E Musæo Strauchiano, IDIB. JULI. A. MDC LXIIX.

Madrigal.

Es bleib darbey. Nur der ist recht beglückter/
So in der Sterblichkeit
Der Gaben Pracht/ den uns die Ewigkeit
Unfehlbar schencket / im Glauben recht erblickter.
Ihm hat bisher der Saft /
So aus der Weisheit quillt /
Geliebt. Ist sucht er solche Krafft /
So alle Noth und was nur wiedrig / stillt /
Ob Weisheit gleich den Glück uns einverteibet /
Es hat doch nicht bestand ;
Dis aber was er ihand liebet / bleibet
Denn wer allhier sich übt in diesen Schauen /
Der kömmet gar gewis zur Freuden-Auen.

M. Sebastian Augustinus Selgenhauer.

99 A 69 12

ULB Halle 3
002 721 678



Sb.

VD 17

Rehr a. Korr.







AUXILIANTE DEO
DISPUTATIONEM THEOLOGICAM,
De
**BEATIFICA DEI
VISIONE,**
In Electorali Academia VVittebergensi,
SUB PRÆSIDIO
VIRI
Maximè Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,
DN. JOHANNIS Deutschmann/
S.S.THEOL.DOCTORIS, Ejusdemq; Prof. Publici
longè celeberrimi, nec non Alumnorum Electoralium
Ephori gravissimi,
Domini, Præceptoris, Patroni, ac Promotoris sui
æternâ laude memorandi,
Publicæ Eruditorum disquisitioni
subjicit
M. Gottfried BALDUINUS,
Cizâ Misnicus.
Ad D. XXI. Julii, In Auditorio Majori.
ANNO M. DC. LXVIII.

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.